



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologōn diaphorōn syngrammata palaia kai orthodoxa

Gessner, Conrad

Tiguri, 1560

VD16 G 1810

De Athenagora.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72021)

M P R A E F A T I O .

rata, quas & oro mihi ueloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut, & aliorum martyrum nō audeant corpus attingere. Quod si uenire noluerint ego uim faciam ut deuorer. Ignoscite mihi filioli quid mihi profit ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ uidentur desiderans, ut Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli, in me ueniant, tantum ut Christo fruatur. Cumq; iam damnatus esset ad bestias, ardore patendi cum rugientes audiret leones ait, Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniatur. Passus est anno II Traiani. Reliquia corporis eius Antiochia iacent, extra portam Daphniticam in coemeterio. Hieronymus in Catalogo script. Eccl.

Præter epistolas septem quæ ab Hieronymo & Eusebio commemorantur, nostra ætate etiam quinque alia Ignatio adscribuntur, ad Mariam quæ in quibusdam exemplaribus Casobolita nominatur, ad Philippenses, ad Tarsenses, ad Antiochenos, & ad Heronem. Circumferuntur etiam Latinae epistolæ Ignatio inscriptæ ad Ioannem quem seniore appellat, & ad Mariam matrem domini. Quibus epistolis quid tribuendum sit lectori pio iudicandum relinquemus. Qui tamen plura de Ignatio, eiusq; doctrina, & his epistolis cognoscere desiderat, legat Io cap. Centuriæ & nouæ ecclesiasticæ historiæ.

DE ATHENAGORA.

Quo tempore Athenagoras uixerit eius Apologia satis ostendit, quæ M. Antonino & M. Aurelio Commodo Imp. inscribitur. Ex philosopho ipsum ad Christianam fidem conuersum esse, titulus ac nomen philosophi iudicare uidetur, & hoc ipsum confirmat eximia philosophicarum rerum cognitio, quæ in eius libris apparet. Vbi uixerit, aut quando obierit, quid egerit cognoscere non potuimus quandoquidem nulla eius ab Eusebio & alijs historicis fit mentio. Legatio eius indicare uidetur ipsum aliquando à Christianis legatum missum esse ad Antoninum, quod certe factum non fuisse nisi inter fideles magni nominis fuisset: ueruntamen Legatio sua nihil assecutus est, principis enim animus odio Christianorum exasperatus apologia placari non potuit, uerum post pluuia miraculosa mutatus est.

DE AENEA GAZAEO.

Aeneas Gazaus Platonicus quando uixerit non est certum. Verisimile tamen est eum circa Zenonis & Anastasij tempora floruisse, ueluti & Rhenano uisum est. Propterea quod circa dialogi finem se uidisse magnæ Lybiæ sacerdotes ait, exectes à tyranno linguis articulata nihil oscius uerba pronunciantes. Quod supplicij genus Humerichus Vuandalarum rex, qui tunc Afris imperitabat, Homonianis inflixit. Eiusdem esse à quibusdam existimantur 24 epistolæ Græcæ quæ sub nomine Aeneæ sophistæ ab Aldo sunt impressæ.

DE CYDONIO ET HERMIA.

Quis hic Cydonius fuerit nō est certum existimo tamen esse Demetrium Cydonium, de quo fit scribit Volaterranus. Demetrius Thessalonicensis uir doctus & que ac sanctus, Græca Latinaq; facundia præditus, patria decedens Mediolanum uenit, ubi Latinis pariter & Theologiæ operam dedit. Thomæ Aquinatis libros in Græcum uertit sermonem, qui hodie in bibliotheca Vaticana cernuntur. Scripsit & contra Eunomium de diuinitate filij, postremo reuertens in Creta substitit, ubi erogatis in pauperes bonis, in quodam ibi coenobio per sanctè, citra tamen professionem uixit pariterq; defunctus est, annis ab hinc fere ducentis. Hec ille. Tradunt præterea extare eiusdem auctoris multos libros in Bibliothecis Italiæ Contra Cabasilâ Richardi monachi librum contra Machumeticam sectam in Græcam linguam translatus, qui in Latinam linguam translatus est à Bartolomæo Piceno, & unâ cum Alcorano Basileæ editus. Augustini etiam quædam ab eodem translata. Opus contra Palaman. Sermones in Pentecosten. Epistolas, Dialogos. Hermias philosophus quis